



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Augustæ Vindel., 1772**

Caput XXVI. De eminentia liberæ mentis, quam supplex oratio magis  
meretur, quam lectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](#)

## CAPUT XXVI.

*De eminentia liberæ mentis, quam  
supplex oratio magis meretur,  
quam lectio.*

1. **D**omine, hoc opus est perfecti  
viri, nunquam ab intentione  
cœlestium animum relaxare, & in-  
ter multas curas, quasi sine cun-  
transire: non more torpentis, sed  
prærogativa quadam liberæ mentis,  
nulli creaturæ inordinata affectione  
adhærendo.

2. Obscurto te, piissime Deus mens  
præserva me a curis hujus vita-  
ne nimis implicer; a multis necelli-  
tatibus corporis, ne voluptate capiat  
ab universis animæ obstaculis, &  
molestiis fractus dejiciar.

Non dico ab his rebus, quas tot  
affectu ambit vanitas mundana: sed  
ab his miseriis, quæ animam servi-  
tui communi maledicto mortalitati  
pœnaliter gravant, & retardant; ne

*Liber III. Caput XXVI. 211*

in libertatem spiritus, quoties libuerit, valeat introire.

3. O Deus meus, dulcedo ineffabilis, verte mihi in amaritudinem omnem consolationem carnalem, ab æternorum amore me abstrahentem: & ad se, intuitu cujusdam boni delectabilis præsentis male allientem.

Non me vincat, Deus meus, non me vincat caro, & sanguis: non me decipiat mundus, & brevis gloria ejus: non me supplantet diabolus, & astutia illius.

Da mihi fortitudinem resistendi, patientiam tolerandi, constantiam perseverandi.

Da pro omnibus mundi, consolationibus suavissimam Spiritus tui unctionem: & pro carnali amore tui nominis infunde amorem.

4. Ecce cibus, potus, vestis, ac cetera utensilia ad corporis sustentaculum pertinentia ferventi spiritui sunt onerosa.

Tribue talibus fomentis temperate

M 4 te

i  
sco; &  
video:  
oque sit,  
ad quem  
mittenda  
na pac  
e, quan  
quid fe  
e faller  
agni no  
orum fa  
nominum  
actiones  
tates.  
verbu  
arem,  
observ  
perires,  
n oratio  
nibus.  
CA-

212 *De Imitatione Christi*  
te uti, non desiderio nimio impli-  
cari.

Abjicere omnia non licet, quia  
natura sustentanda est: requirere au-  
tem superflua, & quæ magis dele-  
stant, lex sancta prohibet: nam  
alias caro adversus spiritum insole-  
ficeret.

Inter hæc, quæso, manus tua me  
regat, & doceat, ne quid nimium  
fiat.

## C A P U T XXVII.

*Quod privatus amor a summo bono  
maxime retardat.*

I. **F**ili, oportet te dare totum pro  
toto, & nihil tuiipsius esse.

Scito, quod amor tuiipsius ma-  
gis nocet tibi, quam aliqua re  
mundi.

Secundum amorem, & affectum  
quem geris, quælibet res plus, vel  
minus adhæret.

Si fuerit amor tuus purus, sim-  
plex, & bene ordinatus, eris fine  
captivitate rerum.